

edendis libris utimur) institutione, existimemus summam illius viri prudentiam fuisse, longo rerum usu comparatam, eamque scripta legendo non admirari nequeamus, præsertim in *Disputationibus de Republicâ*, quarum prius fecimus mentionem: interim tamen errores ipsius, præsertim quos habet in libro de educatione Principis, nullo modo excusamus neque defendimus. Attamen sæpe venit in mentem, quod aliis in rebus accidere solet, hic quoque per multis hominibus evenire; ut nempe antequam videant, legant, lectaque judicent, sententiam pronuntient, vulgi famam potius sequentes, quam certam rationem & argumenta. Nam quam prompti sint homines, præsertim hoc nostro sæculo ad calumniandum et maledicendum, notius est quam ut multis argumentis comprobari oporteat. At oportet, ut Caius Cæsar apud Salustium recte docet, eum qui de re aliquâ sententiam ferre velit, ab omni odio & amicitia, itemque ab omni invidia esse alienum. Nunc vero cernimus invidia multos bonos viros opprimi, maledictis lacerari & traduci tantoperè ut admiratione dignum sit, eos qui nihil injuste patrârunt, solâ malorum hominum invidia & calumniis in magnas sæpe calamitates incidere. Quæ eum sint nostro hoc sæculo admodum vulgaris, non existimavimus ab incepto opere desistendum; quoniam speramus si vel omnia vel præcipua hujus scriptoris opera in publicum prodierint, fore ut qui nunc pauca quædam certis de causis vituperant, ii postea laudent quam plurima. Cum igitur hoc tempore tam multa variaque in hunc Scriptorem ultro citroque jactarentur, hunc modum esse putavi longè optimum ad parandam editionem omnium Machiavelli operum, si eam partem illorum de quâ maxima est concertatio inter eruditos conjunctam cum disputationibus contrariis eorum qui illum maximè oppugnârunt, primo omnium in lucem ederemus: videlicet, *Principis institutionem*, quæ controversa est maximè, & proinde ipsi Machiavello apud plurimos eruditissimos viros maximam peperit invidiam atque odium. Edimus ergo illam nunc, non quidem ex novâ quam paramus omnium Machiavelli operum translatione, sed ex antiquâ & accurate emendatâ Sylvestri Teli Fulginatis translatione. Et ut omnes intelligant nos hîc nihil aliud spectare quam ut Machiavelli scripta dijudicanda proponamus; huic operi maxime controverso conjunximus quæcunque invenire licuit ejusdem argumenti scripta doctissimorum virorum cum Machiavello in hoc doctrine genere dissentientium, videlicet, ut ingeniosus lector utriusque partis argumenta ponderans, commodius de hac controversiâ totoque Principum ac Magistratuum in subditos suos jure sententiam suam ferre ac dicere posset [c]. Atque hæc res eo

[c] The pieces here referred to, are the two speeches of Agrippa and Mæcenas, to Augustus, (in which one persuades him to resign, and the other to maintain the Imperial Dignity) taken from the fifty-second book of Dion Cassius.